

giffime superans, quia nonnisi a praepotente creatore vni-
 uerfi huius effici potuit. Eodem fere modo, quo Deus ad
 Hiobum: *Vbi eras fundante me terram? expone, si ea eru-
 ditione es. Quis ei dimensiones adhibuit, si nosti? quis in
 eam regulam intendit.* Hiob. XXXVIII, 4. 5. Quae scri-
 ptores Talmudici de tabernaculi erectione, et AVGVSTI-
 NVS de propagatione euangelii per omnes terrae fines,
 ad verba Aguris attulerunt, notante b. CALOVIO, fide
 carent, et *ασκοπως* dicta sunt, teste textus connexionem.
 Sed, cui tribuit Agur creationem. Quis est, qui omnes
 terrae limites posuit, decreuit, stabiliuit. Hic, qui fili-
 um habet, id est, DEVS pater. *מֵה-שְׁמִי וּמֵה-שֵׁם-בְנוֹ*
Quod nomen eius? et quod nomen filii eius? interrogat
 propheta. Nomen scire vult huius, qui limites terrae
 ordinavit: Nec hoc solum, sed et filii eiusdem, qui ter-
 ram creavit. Quid itaque clarius esse potest, quam,
 quod DEO patri opus creationis ab Agure attribuatur.
*His verbis, inquit CALOVIVS, apertissime rerum omnium
 creatori, conservatori, et gubernatori Filium tribuit, eius-
 demque nomen et notitiam, pariter captum omnem ratio-
 nis nostrae longissime transcendere, nec a quoquam nomen,
 hoc est, naturam et attributa eius, satis explicari posse, docet.*
 Fingamus, filium fuisse solum creatorem, qui, vt volunt
 Herrnhuthiani, patre vel dormiente, vel paullulum auxili-
 ante, omnia produxit, profecto Agur non de filio, sed de
 patre huius filii quaesivisset, hac forsitan ratione: *quod no-
 men eius, et quod nomen patris eius.* Sed Agur aliter dis-
 ponit verba sua, et de hoc, qui fines terrae determinavit,
 quaerit, *quod nomen filii, FILII inquam, sui.* Igitur, hic,
 qui filium habet, creavit coelum et terram. Et, nisi filio fi-
 lium affingere voluerint, negare nunquam poterunt Herrn-
 huthiani, patris DEI creatoris nomen ab Agure citari.

Calou. bibl.
 illustr. Tom.
 I. p. 1213.

I. c.